

**DE MUNDI CREATIONE, AD ANTONIUM PANHORMITAM**

LD\_1 v.1 Hoc caelum, quaeque obliquo distincta meatu  
 2 sed certa ferri sidera lege vides,  
 3 telluremque suo libratam pondere, circum  
 4 quam cingit rapidis Ennosigaeus aquis,  
 5 spirantisque avium tractus, fuseumque superne,  
 6 qui cuncta aethereo temperat orbe, Jovem,  
 7 Antoni, Deus e nihilo, Deus omnia fecit,  
 8 et formam rebus jussit adesse suam.  
 9 Ipsa sua voluit caelum splendescere luce,  
 10 et terras caecae noctis habere vicem,  
 11 accendique diem claro de lumine solis,  
 12 solis et auratum mane redire jubar,  
 13 alternisque atrae lucem concedere nocti,  
 14 temporaque hinc spatii ire coacta suis,  
 15 bissenisque vagum complevit mensibus annum,  
 16 ut tamen in partis quatuor omnis eat.  
 17 Namque, ubi sol nostro languens sese eripit orbi,  
 18 frigidaque hibernis terra madescit aquis,  
 19 saevit hiems incana gelu, riget horrida bruma,  
 20 tum tellus fetu concipit aucta suo ;  
 21 ast, ubi vicinos sol ipse recurrit ad ortus,  
 22 excursu et parili noxque diesque ruunt,  
 23 terra suas ostentat opes et divite gemma  
 24 vestit pampineas vitis opaca comas,  
 25 ludit et in pratis varium ver, ludit et aestas  
 26 torrida, et ipsa suas sedula curat opes.  
 27 Haec frumenta manu legit, haec et in horrea condit,  
 28 quae mox versa rotis parca colona terat ;  
 29 hinc cedente die longe et crescentibus umbris  
 30 autumnus pleno fert sua poma sinu  
 31 ac bacchum plenis docet exspumare lacunis,  
 32 sordida dum celeri sub pede musta fluunt.  
 33 Sic statuit pater ipse hominum rerumque creator  
 34 annua perpetuas munera obire vices,  
 35 quin etiam spirare suis de partibus orbis  
 36 ventos, et patriis nomen habere locis.  
 37 Namque ab hyperboreis Aquilo volat impiger antris,  
 38 excitat oppositas humidus Auster aquas,  
 39 Eoos ciet Euris equos, at mitis ab orbe

40 Hesperio Zephyrus lenia flabra movet.  
 41 Idem etiam occultos alta ad convexa vapores  
 42 sustulit, ac terrae vertit in auxilium,  
 43 unde cadunt imbres et matutina pruina,  
 44 et grato sitiens rore madescit humus.  
 45 An non et summo decurrunt vertice rivi  
 46 et cava muscosis fontibus antra sonant,  
 47 unde sitim pecudesque feraeque armentaque sedent,  
 48 temperet et riguum caerulea lympha solum,  
 49 quando aer quoque nimborum inclusus in antris  
 50 cogitur in laticem frigore, et inde fluit ?  
 51 Nequa igitur mundi regio vacet, implet et undas  
 52 piscibus ; hi campo liberiore natant  
 53 ac gregibus variis ingentia regna frequentant,  
 54 nullaque squamigera gente lacuna caret.  
 55 Alitibusque auras celebrat, quibus indit et alas,  
 56 et corpus penna versicolore tegit ;  
 57 induit et virides frondenti gramine colles,  
 58 et nemora arboreis velat opaca comis,  
 59 communem et statuit victum e felicibus agris,  
 60 pomaque frugiferis ducit ab arboribus,  
 61 quo varios usus homini pecorique avibusque  
 62 praestent, ac vitae munera certa ferant.  
 63 Et jam quadrupes fetus, obnoxia morti  
 64 corpora, plumosos edideratque greges,  
 65 tum Deus humanos effingere molliter artus  
 66 membraque de tenui ducere coepit humo.  
 67 Cunctaque formarat studio perfecta magistro,  
 68 quaeque artem referant artificemque suum ;  
 69 mox auram aethereo de fomite fundit in illum :  
 70 "Vive, ait, et proprio membra labore fove."  
 71 Arcanae mox partem animae de mente profunda  
 72 libat, et erecti spirat in ora viri :  
 73 "Dux, ait, haec hominum generi sit et ipsa magistra,  
 74 et sua constituent hac duce, seque regant,  
 75 hac validas ponant urbes, hac jura notarint,  
 76 hac coetus pariter justitiamque colant,  
 77 conjugium ac thalamos discant ratione magistra  
 78 servare et casta religione focos,  
 79 atque artis tractare bonas, et munera caelo  
 80 digna, et qui factis nomen ad astra ferant."  
 81 At postquam, immemores recti, caelestia dona  
 82 vertere in facinus perniciemque suam,  
 83 immemoresque boni, sprete pietate fideque,  
 84 admorunt proprias in sua fata manus,  
 85 grassati et patrium in jugulum, caedesque suorum  
 86 miscuerunt Stygio pocula tincta lacu,  
 87 inque virum saevit conjux, in pignora mater  
 88 (pro scelus), ac miscet fasque nefasque furor ;  
 89 haec pater ut celsa miserans prospexit ab arce,  
 90 sisteret ut sceleri criminibusque modum,  
 91 progeniem in terras summo demisit Olympo,  
 92 quaeque hominis gereret munia, quaeque dei.  
 93 Haec caeli secretaque et inerrabile patris  
 94 consilium explicuit, quae bona, quaeve mala,  
 95 quae vitanda homini, quae vitae forma sequenda,

96 quaeque bonos maneant praemia, quaeque malos ;  
 97 denique mortem obiit, vitae dum consulit ipsi,  
 98 atque suo in caelum sanguine fecit iter.  
 99 Quo magis admiranda Dei clementia summa est,  
 100 cui fumet quicquid terra Sabaea ferat,  
 101 quicquid Arabs. Date thura focis, costumque cremate,  
 102 et date cum multa thurea dona prece,  
 103 Pieriosque adhibere modos et carmina dignum est,  
 104 Antoni, quae te gloria prima manet ;  
 105 Hyblaeo cui rore madent et labra, cui amnis  
 106 Castalius pleno gurgite fundit aquas,  
 107 Nisaeique haerent insigni fronte corymbi,  
 108 et coma Pieria fronde revincta viret,  
 109 felicemque animum pascis pietate fideque,  
 110 nilque tibi vera est religione prius,  
 111 quodque decet bona cuncta deo justumque piumque  
 112 ascribis, nostrae sed mala nequitiae.

#### HYMNUS AD DIVAM MARIAM

LD\_2 v.1 Quisquis ades, dic laeta. Dies hic festus agatur,  
 2 in lucem qui te, diva Maria, dedit.  
 3 Luce sacra ponant venti, mitescat et aer,  
 4 aequoraque irato murmure nulla sonent ;  
 5 pacem agitent elementa : jubet Deus. O mihi dulcis  
 6 gratia, laudandae sis comes ipsa deae,  
 7 sis, Aurora, comes sacrae praenuntia lucis,  
 8 praeferat et roseas Lucifer ipse faces.  
 9 Tu Tyrios redimite sinus, tu, magne sacerdos,  
 10 sacra cane et sacris ora resolve modis ;  
 11 et pius assistat circum chorus, et bona dicat  
 12 in numerum sancto verba canenda die.  
 13 Ipse ego, quod possum, tanti natalis honores  
 14 voce feram, et patrio carmine digna canam :  
 15 "Te nascente hominum melius nil saecula tulere,  
 16 ut nato majus nil peperere tuo ;  
 17 quaque die genita es, illa lux candida primum  
 18 fulxit, et e tenebris clara reluxit humus.  
 19 Tunc magni concepta dei secretaque pandi  
 20 coepere, et vatum certior esse fides ;  
 21 tunc laxae patuere fores, tunc limen Olympi  
 22 panditur, et caeli libera facta via est  
 23 interdicta prius, quod summi edicta tonantis  
 24 spreverit anguineo femina virque dolo.  
 25 Salve, sancta parens Christi, salve, inclyta virgo,  
 26 unica sollicitis spesque salusque reis ;  
 27 tu miseris rapido jactatis aequore nautis,  
 28 e caelo aspirans, aura vocata venis,  
 29 tu pressis longo populis belloque fameque  
 30 prospicis, et pacis dona benigna refers,  
 31 tu fessis tranquilla quies, gratumque dolenti  
 32 solamen, teque est auspice triste nihil.  
 33 Per sacros uteri fetus castumque cubile,  
 34 perque dei Genius quae tulit ore tibi,

35 per dulces nati lusus pueriliaque ora,  
 36 perque sinus, e quis lac Deus ipse bibit,  
 37 per te, quae solita es vota exaudire precantum,  
 38 te rogo, per nomen, casta puella, tuum :  
 39 da pacem, dea, da fessae requiescere genti,  
 40 et nos a saevis eripe turbinibus."

#### HYMNUS AD DIVUM IOANNEM BAPTISTAM

LD\_3 v.1 Felicem, quae prima novo te lumine vidit  
 2 nascentem Eois fluctibus orta dies,  
 3 felicem quaecumque tibi dedit ubera nutrix,  
 4 et qua reptasti terra beata puer,  
 5 quique tuos primi monitus hausere loquentis,  
 6 et quorum infuso corpora rore lavas ;  
 7 sed longe ante omnes fortunatissima mater,  
 8 et quo nec toto est major in orbe parens.  
 9 Nam quid ego de te primum mirerve canamve ?  
 10 Quive meo fuerit primus in ore sonus ?  
 11 An quia divinos partus Christumque canebas,  
 12 quique deo esset honos, quaeque paranda via ?  
 13 An quod felicem terris agnumque hominemque  
 14 atque salutiferum dicis adesse Deum ?  
 15 Vel quod Jordanis dominum lavis amne beato,  
 16 fluxit et e manibus mystica lympha tuis ?  
 17 Hoc ego de te ausim, proles divina, Joannes,  
 18 quod tibi veridico praestitit ore Deus,  
 19 femineo neque conceptu, neque matris ab alvo  
 20 majorem tete saecla tulisse virum.  
 21 Tu nobis ades, o hominum princepsque paterque,  
 22 o qui rore tuo crimina nostra lavas.

#### HYMNUS AD VIRGINEM DEI MATREM

LD\_4 v.1 Quae tellus extrema tuos, sol, exerit ortus,  
 2 quae tegit occasus ultima terra tuos,  
 3 qui Rhenum patriaeque bibunt Maeotidis undam,  
 4 Phoebeisque urit quos plaga fusca rotis,  
 5 te cuncti, regina deum, metuuntque coluntque,  
 6 et celebrant nomen, diva Maria, tuum.  
 7 Te vasti metuunt fluctus, te nubila caeli,  
 8 Aeolique etiam carceris antra timent ;  
 9 te nascente die, te, sol dum conditur undis,  
 10 omnia te meritis laudibus accumulans.  
 11 Namque tibi secreta dei mandata per auras  
 12 candidus Augusto nuntius ore tulit,  
 13 progeniemque Deum caelesti concipis ortu,  
 14 conceptum et nono sidere virgo paris,  
 15 cuique sacri reges caeli nova signa secuti  
 16 aurum et Panthaeo munera odore ferunt.  
 17 Atque, ubi nostra sua delevit crimina morte,  
 18 et maestam insonti sanguine tinxit humum,

19 vidisti e tumulo mira prodisse figura,  
 20 veraque pacifero verba referre sono,  
 21 scandentemque patris mox ad caelestia tecta  
 22 sublimem et dextra parte sedere deum.  
 23 Tum sacer e summa diffusus spiritus arce est,  
 24 et tua divinus corda replevit amor.  
 25 Hinc terris erecta tuis ascendis Olympum  
 26 aurea sidereo vertice sarta gerens,  
 27 cui liquidi circum cantus thiasique deorum,  
 28 et sonat aurato pectine pulsa chelys.  
 29 Fatidici occurrunt vates castique parentes,  
 30 et tibi tum caeli regia tota vacat ;  
 31 ipsa patris natique sinu gestata corusco  
 32 inter mille deum numina prima micat,  
 33 qualis, ubi oceani nitidum jubar extulit undis,  
 34 inter sidereos candida luna choros.  
 35 Jam caelum sullime patet, jam despicias aethram,  
 36 lucida sub pedibus sidera cuncta premens,  
 37 stellantis cum jura capis consortia mundi,  
 38 et datur humani cura patrocinii,  
 39 conciliasque Deum nobis, facilemque precando  
 40 efficis, et populis prospicis usque tuis,  
 41 prospicis et pacis rebus rerumque quieti,  
 42 ac mala in aërios cogis abire Notos.

#### HYMNUS AD DIVAM MARIAM

LD\_5 v.1 Ipsa meis assis numeris, dea, nec tibi festo  
 2 quae damus, haec spernas munera parva, die ;  
 3 parva movent superos dum sint et casta, moveri  
 4 ipsa docent aris pendula dona tuis.  
 5 Dum canimus, fument Syrias altaria flammis,  
 6 atque cavo resonet tibia multa tholo.  
 7 Jam nova progenies caelo ventura supremo  
 8 legerat ipsa uterum, virgo pudica, tuum ;  
 9 Ergo alto delapsa polo vox nuntia castos  
 10 fecundatque sinus insinuatque Deum,  
 11 et quem non spatium immensus colligit aether,  
 12 non totum caeli circuire novem,  
 13 hunc tu virginea conceptum mater in alvo  
 14 fovisti, externo post paritura solo,  
 15 non Tyrio subnixa toro spondave nitenti,  
 16 cui tenue hospitium vix casa parva dedit,  
 17 cui stramen tenero dedit incunabula, et ipsa  
 18 arida vix primos praebuit herba toros.  
 19 At caeli partum ingentem atque ingentia mundi  
 20 pignora monstrarunt sidera luce nova,  
 21 luce nova emicuit caeli decus, aurea flavo  
 22 aurora insolitum fudit ab axe diem ;  
 23 quin matutini sonuere per aera cantus,  
 24 duxerunt placidos numina et ipsa choros.  
 25 Astabant natum circa matremque ministri,  
 26 et nato et matri sedula turba favet ;  
 27 illa plus solito fulxerunt sidera nocte,

28 splenduit et solito clarior orbe dies,  
 29 non pelago incumbunt venti, non aere nubes,  
 30 pax caelo est, terris pax quoque, paxque mari est,  
 31 ipsae etiam infernis laetatae in sedibus umbrae,  
 32 quique pii vates haec fore prodiderant.  
 33 Per te igitur, divina parens, humana salutem  
 34 senserunt, per te janua aperta poli est,  
 35 affari et coram licuit Dominumque Deumque,  
 36 atque subisse hominis membra videre Deum.  
 37 O votis spes una piis, o dulce levamen,  
 38 praesidium et miseris, diva Maria, reis ;  
 39 in cujus gremio vagivit parvulus infans,  
 40 arrisitque pio dulcis in ore Deus,  
 41 blandaque materno suspendit brachia collo,  
 42 figens divinis oscula sacra genis,  
 43 et modo carpebat nitidis alimenta papillis,  
 44 infantique tuum lac bibit ore Deus,  
 45 et modo blanditias puerili expresserat ore,  
 46 inque sinu grata membra quiete levat ;  
 47 tu pia, tu virgo non ulli obnoxia culpae,  
 48 non ullum casto pectore crimen habes.  
 49 Ergo tu praesens nostris succurre periculis,  
 50 subsidium et fessis prospera rebus ades,  
 51 aspice nos, facilisque veni pede, diva, secundo,  
 52 et populi exaudi vota precesque tui :  
 53 sit bellum pestisque procul, pax candida nobis  
 54 assit, nec fructus terra benigna neget.

#### HYMNUS AD CHRISTUM REDEMPTOREM

LD\_6 v.1 Annua jam redeunt patriis sollemnia sacris,  
 2 et sanctum referunt tempora certa diem.  
 3 Luce bona simul et pueri innuptaeque puellae,  
 4 et simul assidua femina virque prece  
 5 sollemnes celebrate aras, atque ore favete,  
 6 omnia et aeterno sint operata Deo.  
 7 Prodeat in Tyria spectandus veste sacerdos,  
 8 et chorus ornatas prodeat ante fores,  
 9 velatique comas, albenti et tempora lino  
 10 decantent laudes, maxime Christe, tuas.  
 11 Te sors dura hominum generis, te cura laborum  
 12 immitem subigit mortis obire vicem ;  
 13 dum trunco affixus cuneo et trajectus ahenis  
 14 sensisti geminum vulnus utraque manu,  
 15 sensisti fixas ferrato stipite plantas,  
 16 horruit et capiti spina cruenta tuo,  
 17 et cava mortiferum senserunt ilia ferrum,  
 18 vulnere manavit lympha merumque tuo.  
 19 Cumque sitim cuperes nostra sedare salute,  
 20 torpuit arenti fellis in ore sapor,  
 21 atque inter geminos crudeli sorte latrones  
 22 Judaeae pateris jurgia saevitiae :  
 23 donec defesso decedens spiritus ore  
 24 clamavit : "Quid me deseris, alme pater ? "

25 Hinc manes Stygiosque lacus, loca taetra silentum,  
 26 Infernique subis limina dura fori ;  
 27 inde pias animas et caelo digna secutas  
 28 eximis, et superum munera ad alta vocas.  
 29 Tertia lux aderat, roseo cum laetus Eoo  
 30 surgis, mox victor sidera clara petis,  
 31 consortemque capis patrio cum numine curam  
 32 dextra tenens, dextro conspicuusque loco.  
 33 Hunc igitur precibusque piis studioque fideli  
 34 placemus, nostro det veniam sceleri,  
 35 det pacem, mala cuncta procul morbosque famemque  
 36 pellat, et hostiles det superare manus.

### HYMNUS AD DIVUM FRANCISCUM

LD\_7 v.1 Nimbo quisquis speculans de monte sacerdos  
 2 Francisci felix rura nemusque tenes,  
 3 divinumque colis tam sancti carceris antrum,  
 4 parvaque at ingenti tecta habitata viro  
 5 Hic, ubi nudus, inops, saxo vix tectus adhaeso  
 6 hiberno statuit sub Jove ferre nives,  
 7 humana expertus quantum patientia posset  
 8 duraque paupertas propositumque tenax,  
 9 atque inter silvas, atque inter lustra ferarum  
 10 efferat ut nomen, maxime Christe, tuum,  
 11 cum volucres cinxere virum pia verba sonantem,  
 12 auritae ante pedes et stupuere ferae,  
 13 huc aures adverte, neque haec mea dicta, sacerdos,  
 14 despice, veridica quae tibi mente feram.  
 15 Non auro splendente domus gemmisque superba,  
 16 nec quae Puniceo lana colore rubet,  
 17 non centum versata jugis felicia campi  
 18 jugera, nec Cresso palmite dives ager,  
 19 aut gregis innumeri fetus, aut merce Sabaea  
 20 Niliaco rediens litore plena ratis,  
 21 nec tam quaesiti multo sudore triumpho,  
 22 subditaque imperiis oppida mille tuis  
 23 felicem efficient, quamvis numerosa parentem  
 24 stirps obeat plenas exhilaretque domos,  
 25 quam laeta el sanae paupertas conscia mentis,  
 26 paupertas forti regna decusque viro,  
 27 qua vel Achaemenios luxus regnumque Phrahat  
 28 exsuperat vestri gloria magna patris ;  
 29 cui saevi cessere ignes, victusque refugit,  
 30 qui capit assiduo pectora nostra dolo,  
 31 scilicet et fraudes et noxia crimina vicit,  
 32 ejecitque animo turpe nefasque suo,  
 33 qui variis mandata Dei virtutibus implens  
 34 inclyta militiae signa decusque ferat,  
 35 labentemque aciem Christi pietate fideque  
 36 sistat, et hostiles ense refringat opes.  
 37 Salve igitur, patriaeque parens duxque optime gentis,  
 38 quae sacra pro Christi nomine bella gerit ;  
 39 macte animo, Francisce, gravem qui primus in hostem

40           irruis, et Christi munera victor obis,  
 41       vulnera Judaico qui quondam illata furore  
 42           excipis, et pretium est hoc tibi dulce datum,  
 43       haec gestata tibi sunt laureaserta triumpho,  
 44           haec spolia, haec gentes, haec tibi currus eunt.  
 45       Desino, nam levius Libycae numerentur arenae,  
 46           ocius et medio quae salit alga mari.

#### HYMNUS AD DIVUM DOMINICUM

LD\_8    v.1       Sol oritur, venit ecce dies ; cape thura, sacerdos,  
           2       cultaque divino carmine templa sonent,  
           3       araque Tyrrheno niteat vestita paratu,  
           4       fumet odorato myrraque thusque foco.  
           5       Vos castas adhibete preces, nam castus et ipse  
           6       Dominicus ; casto sint sacra casta viro,  
           7       in quo num pietas, an justae conscia mentis  
           8       simplicitas, dubium est sit prior, anne fides ;  
           9       cujus inhaeserunt humeris labentia Petri  
 10       culmina, et immoto corpore sistit opus,  
 11       primus o assertor Christi, sed quo neque majus  
 12       Hesperia, aut melius Corduba docta dedit.  
 13       Ac veluti numero stellas comprehendere non est,  
 14       quantaque in oceani litore arena jacet,  
 15       sic neque Dominici laudes aequare canendo,  
 16       concipere humano nec queat ore sonus.

#### HYMNUS DE CHRISTO AD PARIDEM FERRARIENSEM

LD\_9    v.1       Quod varios pelagi casus caelique procellas  
           2       exsuperas, nanti quod data terra tibi est,  
           3       oceanique minas et saeva pericula vincis,  
           4       ac sospes patrio redderis Eridano,  
           5       haec, Pari, non ars ipsa hominum aut sollertia praestat,  
           6       non labor, at summi cura paterna Dei.  
           7       Quantula enim nostra est industria ? Cede periclis,  
           8       cede mari, Christi ni pia dextra juvet ;  
           9       ille regit nostros cursus auramque ministrat,  
 10       sollicitaeque offert litora tuta rati.  
 11       Quare, age, thure pio flammisque liquentibus aras  
 12       ipse adole, et plena fumet acerra manu,  
 13       adstet conspicuus Tyrrhena in veste sacerdos,  
 14       et peragat patriis mystica sacra modis :  
 15       "Pax homini ; tibi, Christe, decus, tibi gloria soli,  
 16       vera Dei proles, verus et ipse deus ;  
 17       te colimus, tibi divinos largimur honores,  
 18       et nomen felix ducimus esse tuum.  
 19       Tu casus, tu damna levas ; tibi munera terrae,  
 20       et tibi se fontes, se tibi debet aqua."  
 21       His igitur placare Deum superosque memento,  
 22       et sua cum pura solvere vota prece.  
 23       Nil auro divis opus est, sed mente, fideque ;



24 haec nos una homini copulat, illa Deo.

**ALFONSUS CALABRIAE DUX DIVO GEORGIO TROPHAEUM ERIGIT  
OB SUPERATOS AD HYDRUNTEM TURCAS**

LD\_10 v.1 Haec tibi capta manu Turcaeo ex hoste, Georgi,  
2 dedicat Alfonsus, quae tibi vota refert,  
3 arcumque et pharetras ferrato et pondere clavas  
4 ensesque et clipeos telaque abacta viris.  
5 Accipe, bellorum deus armorumque magister,  
6 annua quae aurato munere persoluum.

**IDEM ALFONSUS OB RECUPERATUM REGNUM NEAPOLITANUM  
AC REBUS PROCERUM COMPOSITIS**

LD\_11 v.1 Alfonsus dicat haec victor tibi, dive Georgi,  
2 quod patri et patriae libera jura refert,  
3 quod post compositos proceres, quod, pace recepta,  
4 et regni et patriae munera constituit.

**AD AMICOS HIEROSOLYMAM PROFICISCENTES**

LD\_12 v.1 Nec mihi Judaeas urbis Solymumque recessum,  
2 nec spes Bethlemium est posse videre larem,  
3 quaeque meo prima est animo mentique voluptas,  
4 Turcaico certa est omnis adempta metu.  
5 Quod possum, cum prima novo se lumine tollit  
6 aurora et terras detegit orta dies,  
7 tum lucem lucisque jubar solemque saluto,  
8 haec loca quae curru lustrat obitque suo ;  
9 illius et radios veneror, qui rura nemusque  
10 et fontem Christi dulciaque arva vident  
11 felicemque locum, jacuit quo rector Olympi,  
12 et quam divino sanguine tinxit humum,  
13 hic ubi, crudeli trajectus brachia ferro est,  
14 fixit et immeritos cuspis adacta pedes,  
15 hausit et immeritum latus heu ferratile telum,  
16 diluit et fusus crimina nostra cruor.  
17 At vobis qui longa, viri, tranare paratis  
18 aequora et in Phariis sistere vela vadis,  
19 dirigat audacem cursum Zephyrosque ministret  
20 Christus, cui parent sidera, terra, fretum,  
21 victoresque Palaestina vos sistat in arce,  
22 et patrium redigat sub ditione solum.  
23 Tunc ego sidereosque duces victriciaque arma  
24 et parta insigni laude trophaea canam ;  
25 ipse Deus mihi carmen erit, Deus inclyta ducet  
26 signa, et cedentes proteret ense globos,  
27 ipse alto invectus curru sternetque ruetque,  
28 dum cadat effosso flens Saladinus equo.

29 Haec ego ; vos agite ite, viri, pugnate frequentes,  
30 et spolia Assyrio ex hoste referte domum.

#### HYMNUS AD DIVUM AUGUSTINUM CARTHAGINIENSEM

LD\_13 v.1 Det monstra infelix tellus Massyla, det angues,  
2 et Libycas pariat Punica terra leas,  
3 arescant sitiente solo Nasamonica tesqua,  
4 funditet et nullas gleba Libystis aquas,  
5 dum tamen, Augustine, tuos non deneget ortus,  
6 laeta sit et partu Cinyphis ora tuo ;  
7 unde illi invideant et felix Lydia, et arva  
8 quae rigat auriferis lucidus Hermus aquis,  
9 invideat latis audax Germania terris  
10 dives aquis, populis dives et ipsa suis.  
11 Nil etenim, Augustine, tulit tete Africa majus,  
12 cujus ab ingenio creverit alma fides.  
13 Per te religio Christi stetit integra, per te  
14 divinae legis mystica operta patent ;  
15 tu secreta Dei pandis, tu tradita patrum,  
16 et verum et pietas manat ab ore tuo.  
17 Et pater et patriae princeps, et maxime rector,  
18 accipias voces, dive benigne, meas.

#### HYMNUS AD DIVUM BENEDICTUM

LD\_14 v.1 Huc ades, Benedicte, meos neu despice cantus,  
2 huc ades, Orphea dive canende lyra.  
3 Ure puer costum Assyrium redolentibus aris,  
4 ure et odoratis plurima thura focis.  
5 Digne senex populi precibus votisque potentum,  
6 digne senex, arae cui sacra mille parent,  
7 mille canant : "Pater euge, pater Benedicte," tibi omnis  
8 turba chorusque omnis cantitet : "Euge pater."  
9 Hic vel mille aras tibi, maxime Christe, dicavit,  
10 mille arces, mille et moenia, mille tholos,  
11 primus et hic Italae posuit sacraria genti,  
12 et clausit sacros moenia in una choros ;  
13 huic et saevities concessit barbaras, et hostis  
14 armatus miti victus ab ore viri est,  
15 totque virum ductor et tantis inclytus actis  
16 prostratus geminos corrui ante pedes.  
17 Quid majus radians vidit sol ? Et tibi plausit  
18 Christus, et e caelo nuntia signa dedit.  
19 Instaura jam thura, puer ; cane, sancte sacerdos ;  
20 ingement laudes tympana pulsa novas.